

mamur : sicut & ipse Salvator appellatus est à Judæis seductor quæ omnia æqualiter ferimus, ne extollant nos laudantes, nec deiciant detrahentes : quia necesse est utramque partem aliquando mentiri. Unde ad conscientiam redeuntes, non debemus aliis magis fidem accommodare, quam nobis.

*Sicut qui ignoti, & cogniti.* Ignoti perfidis & ingratis, & cogniti, à fidelibus & justis.

*Quasi morientes, & ecce vivimus.* Hoc est, usque ad mortem pervenientes : sicut quando lapidatus est, & mortuus æstimatus, surgens docebat in Lystris.

*Ut castigati, & non mortificati.* Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me.

*Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Tristes severitate vultus : corde verò etiam in tribulatione gaudentes.

*Sicut egentes, multos autem locupletantes.* In hoc ipso quo nobis egemus, aliis abundamus : dum per nos cleemolynæ fiunt : sive terrenis egentes, alios bonis cælestibus facinus locupletes. Simul attendendum, quomodo omnia quasi pati se dicit, non tamen pati : ut ostendat ista esse quasi imagines passionum, ad comparationem præmii sempiterni.

*Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Sicut ait Salomon, ejus qui fidelis est, est totus mundus divitiarum. Nam excepto quod omnia nostra Dei sunt : nemo plus habet, quam qui nullius indiget : Ille verò nihil eger, qui præter necessaria nihil requirit. De separatione fidelium ab infidelibus : & quod omnes sancti templum sint Dei.

*Os nostrum patet ad vos, & Corinthii, cor nostrum dilatatum est.* Ita sumus vestro profectu provocati, ut tacere penitus non possumus. Profectus enim discipuli, aperit os magistris. Et cor dilatatur atque amplificat : id est, facit sensibus abundare. Sicut de Salomone scriptum est : Quia dedit illi Deus latitudinem cordis, sicut arenam maris.

*Os nostrum patet ad vos, & Corinthii, cor nostrum dilatatum est.* Ita sumus vestro profectu provocati, ut tacere penitus non possumus. Profectus enim discipuli, aperit os magistris. Et cor dilatatur atque amplificat : id est, facit sensibus abundare. Sicut de Salomone scriptum est : Quia dedit illi Deus latitudinem cordis, sicut arenam maris.

*Non angustiastimini in nobis : angustiastimini autem in visceribus vestris.* Non ex nobis sermonis angustia : sed quia validiorem vos non potestis audire doctrinam, ideo ex vobis causa procedit angustia.

*Eandem autem habentes remunerationem.* Si eundem sustineritis laborem. Aut certe si tantum, quantum dicere possumus capiat.

*Tanquam filiis dico, dilatamini & vos.* Quasi filii meo exemplo dilatamini, ut majora recipiatis. Sive sacerdotes in doctrina exemplo suo præcipit dilatari.

*Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Nolite illis conjugari, vel æquari : quia jugum simul non trahunt, nisi pares : id est, nolite pseudoapostolis sociari, vel his qui in idolo recumbent.

*Qua enim participatio justitie cum iniquitate : aut que societas luci ad tenebras ?* Nulla, sicut nec cum tenebris luci. Simul ostendit neminem posse esse justum & injustum : valde contraria exempla proponens.

*Qua autem conventio Christi ad Belial ?* Aut que pars fidelis cum infideli ? Penitus illi non potest convenire. In Belial autem diabolum, sive Antichristum in vocabulo idoli nominavit.

*Qui autem consensus templo Dei cum idolis ?* Vos enim estis templum Dei vivi. Idola ipsos homines dicit, qui idola colunt : quia templa sunt dæmonum, sicut justum templum Dei sunt.

*Sicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis.* Cum ubique sit Deus, tamen in illis proprie habitare se dicit : qui ejus gratia perfruuntur, & qui mundum ei præparant sui cordis hospitium.

*Et inambulabo inter eos.* Omnes eorum sensus obtinebo, vel percurram.

*Et ero illorum Deus.* Deus enim natura omnium est, voluntate paucorum : non enim est Deus mortuorum, sed vivorum.

*Et ipsi erunt mihi populus.* Qui voluntate servi sunt, non natura tantum.

*Propter quod exite de medio eorum : & separamini, dicit Dominus.* Actu, vel conversatione, vel familiaritate : non loco.

*Et immundum ne tetigeritis.* Omnis qui peccat, immundus est : immundus enim apud Deum omnis iniquus.

*Et ego recipiam vos.* Si vos illi ejecerint.

*Et ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filius.* Si vos parentes abdicaverint infideles, me patrem habebitis sempiternum.

*Dicit Dominus omnipotens.* Addidit, omnipotens, ac cui impossibile videretur.

## Caput VII.

**H**AS ergo habentes promissiones, charissimi. Tantas & tales promissiones habentibus, quanto studio mundanda est domus talem hospitem receptura ? & Dei filii, quomodo debent patrem in omnibus justitiæ operibus imitari ?

*Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.* Inquinamentum carnis est, quod per carnem admittitur. Spiritus verò, quod sola cogitatione peccatur.

*Perficietes sanctificationem.* Tunc erit perfecta sanctificatio, si utraque munda fuerint.

*In timore Dei.* Non in laude hominum, vel timore. *Capite nos.* Neminem lesimus. Accipite quod dicimus, sive quod vivimus, ut exemplum nostrum teneatis.

*Neminem corrupimus.* Mala doctrina. *Neminem circumvenimus.* Ut ejus aliquid tolleremus.

*Non ad condemnationem vestram dico.* Prædiximus enim quod in cordibus nostris estis ad commoriendum, & ad convivendum. Non me excusando, vos tales expono : non enim possum de vobis hoc sentire quos diligo, ut superius commemoravi.

*Multa mihi fiducia est apud vos.* Multam mihi fiduciam dedistis loquendi : quia in omnibus obedistis, sive quia multum me à vobis diligere non ignoro.

*Multa mihi gloria pro vobis.* Apud alias Ecclesias, de vestra emendatione mihi applaudo.

*Repletus sum consolatione.* Post multam tristitiam. Sive, sermo mihi suppeditat consolationem, vestro provocatus exemplo & profectu.

*Superabundo gaudio, in omni tribulatione vestra.* In omni tribulatione vestra tantum gaudeo, ut obliviscar omnium pressurarum.

*Nam & cum venissemus in Macedoniam : nullam requiem habuit caro nostra.* Ostendere illis vult quantam pressuram magnitudo gaudii superavit.

*Sed omnem tribulationem passi sumus.* Nullum genus tribulationis experti non sumus.

*Foris pugna : intus timores.* Pugna contra infideles, & timor de fratribus falsis : sive, timebamus ne scandalizarentur infirmi.

*Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus.* Hoc est humiliatos passionibus & afflictis.

*In adventu Titi.* Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione. Non solum quia desideratus adventus, sed etiam quia illa nunciavit : propter quæ ejus maxime expectabamus adventum.

*In qua consolatus est in vobis.* Post luctum quem pro vobis nobiscum habebat.

*Referens nobis desiderium vestrum, vestrum solum.* Pro nostra contristatione, & quorundam peccatis.

*Vestram emulationem pro me.* Quia vice mea æmulationis estis Dei æmulatione peccantes. Sive triplex est æmulationis : aut imitationis, aut invidia, aut de qua agitur in presenti.

*Ita ut magis gauderem.* Quia non modo correxistis vos, sed etiam amplius profecistis.

*Quoniam & si contristavi vos in Epistola, non me penitet.* Et si peniteret videns quod Epistola illa, & si ad horam vos contristavit, nunc gaudeo : non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad penitentiam. Et si me penitisset, eo quod vos durius corripuerim : tamen vester facit profectus, ut non me peniteat : quasi si dicat medicus, etiam si doluisset mihi tam ardenti me usum esse cauterio : sed nunc gaudeo, non quia doluisset, sed quia dolor ille vobis profuit ad salutem.

*Contristati enim estis secundum Deum.* Non secundum sæculum.

*Ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.* Aut nostra negligentia. Aut ut venientes aliquem vestrum damnarem.

*Qua enim secundum Deum tristitia est, penitentiam in salutem stabilem operatur.* Est enim penitentia diabolica, ad-

versa

versa salutem : si quis de bono opere peniteat, stabilem operatur, stabilem salutem, sive permanentem penitentiam. De propiciati enim peccatorum, non debemus esse sine metu.

*Sæculi autem tristitia mortem operatur.* Sæculi tristitia est : aut de amissis rebus propriis, aut de alienis non invasis dolere, vel de alterius felicitate torqueri. Secundum Deum verò tristitia est : sive sua, sive aliena lugere commissa.

*Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantum in vobis operatur sollicitudinem ?* Hoc ipsum quod modo factum est, potest vos docere, quid sit inter utramque tristitiam.

*Sed defensionem.* Quidam habent, sed excusationem : in Græco autem ἀμύνω : id est, satisfactionem præcepti scilicet dicit. Quidam dicunt, hoc loco, sed præpositionem in Latino esse superfluum. Apud Græcos verò consequentiam structuræ esse sermonis.

*Sed indignationem.* Contra peccantes, non negligentiam.

*Sed timorem.* Timorem Domini, non securitatem.

*Sed desiderium.* Non fastidium, sed desiderium nostrum.

*Sed emulationem.* Contra peccantes : ne ultra peccarent, non remissionem.

*Sed vindictam.* Non veniam nocivam, sed vindictam salutarem.

*In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio.* Probatis vos immunes à culpa : contaminatus enim auctoritatem non habet vindicandi.

*Igitur & si scripsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est.* Non propter eum qui patri fecit injuriam tantum, nec propter ipsum solummodo patrem scripsi. Potest & ita dici : Non propter eum qui excommunicavit : neque propter eum qui ejectus est, scripsi : neque enim per me hæc sola emendata, vel correpta est causa.

*Sed ad manifestandam sollicitudinem nostram quam habemus pro vobis coram Deo.* Ne putetis nos aliquid posse latere, dum pro vobis sumus nimia cura solliciti.

*Idco quoque consolati sumus.* Quia vos castos probatis esse in negotio.

*In consolatione autem nostra abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi : quia reffectus est spiritus ejus ab omnibus vobis.* In hoc autem amplius gratulati sumus : quod ita à vobis Titi spiritus est reffectus, ut nunquam de ejus mente possitis recedere. Profectus quippe discipulorum, spiritualia gaudia sunt magistrorum.

*Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum.* Quasi peritus medicus agit : qui vulnus jam propè sanatum, blandis unctionibus fovet, ut facilius cauterii ictura sanetur.

*Non confusus sum : sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus.* Confusionem non habet gloria de profectu.

*Ita & gloriatio nostra qua fuit ad Titum, veritas facta est.* De rebus justis, non vanitatis, sed veritatis est gloriatio.

*Et viscera ejus abundantius in vobis sunt : reminiscens omnium vestrum obedientiam.* Omnia vos affectuum ejus membra desiderant : ut oculi præsentiam, aures sermonem, os colloquium expectet.

*Quomodo cum timore & tremore excepistis illum.* Obedientiam fidelem describit : qui enim ex charitate obedit, timet contristare quem diligit.

*Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.* Fecistis me gaudere : quia de obedientia vestra nunquam potui hesitare, & de ministerio in sanctos.

## Caput VIII.

**NOTA** M autem facimus vobis fratres gratiam Dei, que data est in Ecclesiis Macedoniam. Causam inchoat de collectis, & exemplo Ecclesiarum illarum, eos ad penitentiam & eleemolynam provocat, ut non putarent sibi grave, quod pauperiores videant jam fecisse.

*Et quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit.* Tunc maxime gaudent, quando fuerint tribulati, scientes Apostolos contumeliam in consilio passos pro nomine Christi, publica læticia fuisse gavilos.

*Et altissima paupertas eorum abundavit in divitiis simplicium.*

Tom. V.

*citatis eorum.* Multum quidem in terrena facultate sunt pauperes : sed in magna simplicitate sunt divites : plus cupientes dare quam habent : ac propterea Deus animum magis probat, quam quod dextera porrigit : qui enim quantum potest facit, totum fecit : similiter dives & pauper, quamvis dives amplius dare videatur.

*Quia secundum virtutem testimonium illis reddo : & supra virtutem voluntarii fuerunt.* Verbis præpositis hoc dicit. Testimonium illis reddo, quod secundum vires facientes, supra virtutem voluntarii fuerunt.

*Cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam & communicationem ministerii quod fit in sanctos.* Multum suadentes nos, rogaverunt, ut graterantur quæ offerebant suscipere in ministerio sanctorum.

*Et non sicut speravimus : sed semetipsos dederunt primum Domino : deinde nobis.* Amplius quam sperabamus fecerunt, non contenti sua dare, sed seipsum primo Domino tradiderunt, deinde nobis, hoc est, Deus videt voluntatem eorum, nos effectum.

*Per voluntatem Dei.* Non ut nobis placerent sine Domini voluntate.

*Ita ut rogavimus Titum : ut quemadmodum cepit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam.* Illorum devotione accensi sumus mittere eum ad vos : ut doctrina & dispositione sua, etiam hoc in vobis perficiat, ne quid minus ceteris habeatis. De collaudatione Corinthiorum & æqualitate, prout quisque habuit, & de ministerio quod fit in sanctos agit.

*Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia : & in omni sollicitudine, insuper & charitate vestra in nos.* Nota cum fide scientiam esse laudabilem.

*Ut & in hac gratia abundetis.* Ne cum in aliis vincatis, in hoc ab aliis superemini.

*Non quasi imperans dico : sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestra charitatis ingenium bonum comprobans.* Non impero nec exigo, sed consilium do : ut sicut in multis formam alii præbetis, ita & in isto opere faciatis. Est enim vobis sic ingenta pietas, ut ab aliis eam discere minime egeatis.

*Sciitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi : quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives : ut illius inopia vos divites essetis : & consilium in hoc do.* Hoc enim vobis utile est. Non ignoratis Dei Filium propter vos pauperem factum, qui universorum erat conditor & Dominus : ut ejus exemplo bonis cælestibus ditaremini. Si ergo ille propter vos temporalia universa contempsit, quanto magis vos dare debetis parva, non vestra, imò sua ei reddere : Ipsi enim datur, quicquid ejus causa porrigitur. Simul & contra Fotinum facit, quod priusquam pauper feret Christus, dives erat : quia habitabat in patre.

*Qui non solum facere : sed & velle cupisistis ab anno priore.* Ostendit quosdam posse facere non volentes : cum aut importunitas petentis, aut auctoritas præcipientis exigeret.

*Nunc verò & factio perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis : ita sit & perficiendi, ex eo quod habetis.* Quod voluntarie incepistis, implete. Omnis enim boni operis finis est expetendus. Quia sicut factum inviti, acceptum non est : ita voluntas instructiosa est, habentibus eam sine facto.

*Si enim voluntas prompta est : secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.* Ne putetis me aliquem supra vires cogere, aut tantum in hac causa à paupere quantum à divite expetere. Omnes æqualiter dabunt, si unusquisque tantum dederit, quantum potest, non secundum quod non habet. Hoc & Tobias dicebat ad filium : Prout habueris filii, fac eleemolynam.

*Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio : sed ex æqualitate in presenti tempore.* Non dico ut vobis nihil ferretis, sed quod quidem utrique sufficiat.

*Vestra abundantia, illorum inopiam suppleat, ut illorum abundantia vestre inopia sit supplementum : ut fiat æqualitas : sicut scriptum est.* Date illis carnalia, ut & illi vacantes, possint vobis reddere spiritualia. Ipsi enim duo gradus, sine alterutro esse non possunt : jam enim ille perfectus non erit carnalibus cogitando, quamvis misericors, cum non habet cui dare, vel quomodo dare doceatur.

*Qui multum habuit, non abundavit : & qui modicum, T t t*



non minoravit. De manna hoc dicitur, quod accepit populus in deserto, cujus exemplo docetur, quod omnis iuperabundantia generet vermes. Simul & ostenditur quæ Deus dat, omnibus æqualia esse debere. Et propter hujus testimonii auctoritatem, vult nobis Apostolus præsentia omnia esse communia, ut & perfecti doctrinam non abscondant: & habentes substantiam mundi, non denegent eis victum. Dignus est enim operarius cibo suo.

Gratias autem ago Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titii: quoniam exhortationem quidem suscepit, sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Gratia quidem exhortationis, & voluntate propria festinavit, ut mercedem haberet, non invitus, quasi ei sit credita dispensatio.

Misimus autem cum illo fratrem nostrum, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Hoc de Luca intelligitur: quia laudem in Evangelio conscribendo videtur habere præ cæteris, qui etiam Actus Apostolorum præter Evangelia scripsit.

Non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam qua ministratur à nobis. Testimonio Ecclesiarum idoneum eum & probatum fuisse, demonstrat.

Ad Domini gloriam, & destinatum voluntatem nostram. Propositam, sive paratam.

Devotus hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, que ministratur à nobis Domini gloriam. Ne quis dicat, quomodo Christus legem implevit: cum videamus Christianos, non tantam elemosynam facere, quantam fieri in lege præceptum est?

Providemus enim bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Nihil enim propter humanam gloriam facimus, sed tamen nolumus, ut per nos aliquis scandalum merito patiat: sed ut omnes videntes opera nostra bona, magnificet patrem nostrum.

Misimus autem cum illis & fratrem nostrum. Quidam hoc de Apollo asserunt dictum.

Quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse. Testimonium illi dat, ut facilius audiat.

Nunc autem multo sollicitiorem confidentia multa in vos. Multo nunc sollicitiorem comprobamus eum, propter vos: quia vestra obedientia provocatur, sive quia adjuti à Tito, sive quia per seipsum comprobavit.

Sive pro Tito, qui est socius meus, & in vobis adjutor: sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum glorie Christi. Quod dicit, hoc est. Tam Titii causa qui eorum obedientiam colaudaverat, quam eorum qui ad ipsum fuerant pariter destinati: ita se exhiberent, ut & charitatis sinceritatem & Apostolicæ pro ipsi gloria veritatem, in conspectu omnium comprobarent.

Ostensionem ergo, qua est charitatis vestra & nostra gloria, pro vobis in illos ostendite in faciem Ecclesiarum. Ut videant verum esse quod dicitur in omnibus Ecclesiis de vobis profectu. Sive aliter, ostendite charitatem vestram de qua coram omnibus Ecclesiis gloriamur.

## Caput IX.

**N**AM de ministerio quod sit in sanctos, ex abundantia est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones. Mutare videtur, sanctos, hic sensum: & ideo quidam dicunt eum superius de laicis dixisse: hic verò de sacerdotibus sanctis. Alii verò aiunt eum de elemosynis hucusque tractasse, modo autem de ministerio verbi commone: quod sanctificatis per baptismum exhibetur. Hi verò duo sensus usque ad finem causæ diligenter utriusque sunt colligendi.

Quoniam & Achaia parata est ab anno preterito. Tota provincia, cujus caput estis, per nos ad hoc ministerium provocata est.

Et vestra emulatio provocavit plurimos. Hic emulatio pro imitatione ponitur.

Misimus autem fratres, ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte. Superius memoratur: Qui vos comoneant ne aliter inveniatur: in parte doctrinæ, sive ministerii quam putabam.

Ut quemadmodum dixi, parati sitis: ne cum venerint Ma-

cedones necum, & invenerint vos imparatos, erubescamus nos, ut non dicamus vos, in hac substantia. Si nos erubuerimus quasi falso gloriantes: quanto magis vos & pro vestra negligentia, & pro nostro rubore? Multa enim confusio est: si quis pro eo qui eum diligit, erubescat.

Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repositam benedictionem hanc paratam esse. Sive à benedicendo, sive quia per humanitatem eorum benedictio nascitur Dei.

Sic quasi benedictionem, non quasi avaritiam. Hoc autem dico: Qui parat seminat, parat & metet. Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo: non ex tristitia aut ex necessitate. Benedictio erit si grato animo tribuatur.

Hilarem enim datorem diligit Deus. Avarus autem hilariter dare non novit. In scientia autem avarus est, qui sensum non vult implere quem cepit. Unde Dominus neminem in via salutare præcepit: hoc est, nulli transitorio verbum annunciare salutis. Hoc est autem qui parat seminat, parat & metet. Contra Jovinianum etiam hic locus facit, ubi meritum gradus esse monstrantur. Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. E contrario ergo in maledictione seminans, inde & metet: sicut scriptum est. Non femines mala in sulcis injuriæ, & non metes ea septuplum. Unusquisque prout destinavit in corde suo: id est, voluntarius, non coactus: non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus, secundum sapientiam Salomonis. Et in omni dato, hilarem fac vultum tuum. Si autem de scientia intelligitur, hilarem in labore suo vult esse doctorem: sicut de se alibi dicit. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: & reliqua.

Potens est autem Deus. Sive ne inopia formidarent, sive gratuitum donum sapientie.

Omni gratiam abundare facere in vobis. Gratiam nascentia, quia exinde per opera vestra, Deo gratia referuntur. A fructu enim frumenti, vini & olei sui, multiplicati sunt.

Ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est. Ita ut tam carnalium misericordiarum quam spiritualium, id est, doctrinarum opus bonum possitis implere sicut scriptum est.

Dispersit, dedit pauperibus. Sive sensu pauperibus, sive substantia: sicut superius ait, illorum abundantia, vestra inopia sit supplementum.

Justitia eius manet in æternum. Rebus temporalibus, æterna justitia comparatur.

Qui autem ministrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit. Hoc ait: Quod Deus qui velle eis præstitit, etiam facere perficiat in vobis. Hoc est, Deus qui tibi dedit unde dispenses, esurientem minime patietur. Si autem ad semen verbi referas: Qui dedit officium vendendi, præstabit & escam tibi: modo ad hoc solum vacare velis.

Et multiplicabit semen vestrum. Humilitatis, vel sermonis.

Et auget incrementa frugum justitiæ vestra. Fruges justitiæ, sunt facultates, cum de eis sit justitia. Cum vero aut inique congregantur, aut ad avaritiam vel superbiam possidentur, fruges iniquitatis fiunt. Pretio enim gravans triticum, in populo maledicunt: sive fruges justitiæ sermones sunt Dei. De fructu enim laborum suorum satiabitur sapiens.

Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem: que operatur per nos gratiarum actionem Deo. Ut sine discretionem omnibus simpliciter indigentibus tribuatis. Non querentes cui, sed quare detis.

Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea que desunt sanctis, sed etiam abundat, per multas gratiarum actiones in Domino. Duplicem potestis habere mercedem: & perfectionem sanctorum, & gratiarum in Domino actiones. Aliter: Non solum docet sanctos, sed Domino gratias agit, qui nos tanta sapientia erudivit.

Per probationem ministerii hujus, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestra, in Evangelio Christi. Per hoc ministerium esse probamini Christiani, magnificantes Deum per operum confessionem, sicut è contrario alii factis negare dicuntur. Aliter, perfecte docetis, & ostenditis divinum esse, in quo Deum per obedientiam magnificatis.

Et simplicitate communicationis vestrae in illos, & in omnes, & in ipsorum obsecratione pro vobis. In omnes simpliciter

tribuentes, sive docentes bona, quæ communicatis potius quam donatis, certi vos cum multiplici ea fœnore recepturos. Hæc omnia operatur administratio hujus officii, quæ etiam in hoc abundat.

Desiderantium vos, propter eminentem gratiam Dei in vobis. Quis autem non desideret talem propter gratiam sive scientiæ, sive misericordiæ cæteris eminentem.

Gratias ago Deo super inenarrabili dono ejus. Qui tantam nobis gratiam pietate sua conferre dignatus est. De armis carnalibus & spiritualibus, & de Apostoli potestate, & de his qui seipso commendare conantur.

## Caput X.

**I**PSE autem ego Paulus, obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi. Ea vos mansuetudine rogo qua Christus, cum se posse de injuriis ulcisci, noluit, ut vel se se corrigentem.

Qui in facie quidem humilis sum inter vos: absens autem confido in vobis. Semper sanctorum præsentia, per nimiam humilitatem, minus intelligentibus potest esse contemptui. Absentes verò si necesse fuerit, confidenter suam indicant potestatem. Qui præsentis, sic sunt quasi nihil possint habere virtutum, si tamen nihil delicti repererint in subjectis.

Rogo autem vos ne præsens audeam. Ita agite ne mihi necesse sit manifestare virtutem.

Per eam confidentiam qua existimor audeo in quosdam. Nam omnis existimatio facta est: sicut est. Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.

Qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus. Qui putant nos nihil amplius cæteris hominibus habere virtutis.

In carne enim ambulantes, non tamen secundum carnem militamus. Nam arma militia nostra non carnalia sunt: sed potentia Deo. In corpore videmur incedere, sed ut Dei militri spiritualiter militamus. Arma quippe militiae nostræ non sunt facta de ferro, nec manu hominis fabricata sunt, sed potentia Dei: qua plus vel verbo agas, quam alii homines carnalibus armis.

Ad destructionem munitionum consilia destruentes. Munitionem enim & circumdant doctrinam suam falsi doctores astutia argumentis, quas aereas potestates Apostolus destruit virtute gratiæ spiritualis: sicut illum magum vias Domini perveris disputationibus subvertentem, Paulus verbo cecavit. Item cogitationes adversarias quæ adversus Christum suggeruntur destruentes dicit.

Et omnem alicuius extollentem se ad versus scientiam Dei. Quid tam superbum quam divinis contraire doctrinis.

Et in captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi. Illos destruiimus, qui sub nomine obsequii Christi, omnem intellectum sententiæ capiunt captivare.

Et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. Parati ad ulciscendum omnem inobedientiam, cum impleta fuerit obedientia. Hoc dicit Apostolus, modo paratum se esse ulcisci omnem inobedientiam, cum ea que præcipiuntur, impleverint. Item cum jam vestra per nos obedientia fuerit impleta, illi non audiantur potestatem se vindicandi accepisse à Domino, quia mentiuntur.

Quæ secundum faciem sunt, videte. Hoc est ab illis qui in facie gloriantur, cavete. Tam manifesta est rei probatio ut facillima sit intellectu. Sive ab his hypocritis vobis cavete, qui in præsentia gloriantur.

Si quis confidit Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se: quia sicut & ipse Christi esse, ita & nos. Nemo tam stultus est, quam qui se solum Christi esse gloriat.

Nam & si amplius aliquid gloriatu fuerit de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in edificationem. Nam & si me magis potestatem à Christo accepisse dixerit quam cæteros: ut Apostolus, non erubescam: quia verum dico, & non gloriæ, sed edificationis causa compulsus hæc facio.

Et non destructionem vestram, non erubescam. Nam illi & usurpatam & in destructionem exercere cupiunt potestatem.

Tom. V.

Ut autem non existimer tanquam terrere vos per Epistolas: quoniam quidem Epistola, inquit, graves sunt & fortes: præsentia autem corporis infirma & sermo contemptibilis. Hoc ideo dico, ne quis me putet illa comminari quæ implere non possum, ut de me jactant deceptores.

Hoc cogitet qui ejusmodi est: quia quales sumus verbo per Epistolas, absentes, tales & præsentis in factis. Qui putat hoc, sciat omnia me posse facere, si necesse sit, quæ promitto. Nam obedientibus per humilitatem infirmus: & peccantibus per severitatem fortis existo.

Non enim audeamus inferere, aut comparare nos quibusdam qui seipso commendant. Id est non debemus ita Deum contemnere ut coæquemur aliquibus, qui suis laudibus malunt quam Dei gratia commendari, nec de nobis possumus majora jactare quam sumus.

Se & ipsi in nobis nosmetipsos metientes. Non excedimus mensuram nostræ terminos.

Et comparantes nosmetipsos nobis. Non minoribus: sicut cum illi nihil sint, Apostolis se non modo æquales faciunt, sed etiam anteponunt.

Nos autem non in immensum gloriamur: sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi usque ad vos. Non enim quasi non pertingentes, ad vos superextendimus nos. Nihil supra mensuram humanam facimus, sed in apostolatus gratiam, quantum nobis Dominus donat dignatus est, per quam vobis Corinthii prædicamus, nec enim hoc usurpatione fecimus, sed præcepto.

Usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi. Non nostro, ut illi qui prædicando se, suam Evangelium faciunt.

Non in immensum gloriantes in alienis laboribus. Immensum est in alienis laboribus gloriari. Illi autem semper ad fideles ibant, qui signa minime querebant.

Spem autem habentes, crescentis fidei vestra in vobis magnificari secundum regulam nostram. Qui non munera à vobis, sed mercedem à Deo vestrae fidei expectamus.

In abundantiam: etiam in illa que ultra vos sunt, evangelizare. Id est, non enim usque ad vos sufficit pervenire: sed cum vestra fides creverit, alio transiemus.

Non in aliena regula in bis que preparata sunt gloriari. Sicut illi de præparatis jam ab aliis imprudenter gloriantur.

Qui autem gloriatur, in Domino gloriatur. Jam gloriari in Domino exhortatur: cujus virtutes in eo operatæ sunt.

Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat. Seipsum commendat, qui ipse laudat se: illum verò Dominus commendat, qui signorum virtutibus commendatur.

## Caput XI.

**U**T IN AM sustineretis modicum quid insipientia mea: sed & supportate me. Sustinete me, qui multum sustinere consuevistis imprudentiam meam. Ideo insipientem se dicit: quia illi necesse erat aliqua de se dicere, licet vera: ut ostendat quam verè insipientes sunt qui falso se laudant. Sed & supportate me.

Emulor enim vos, Dei amulatione. Respondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Id est, non stimulo livoris inflammor, sed vos tanquam pater divina æmulatione custodio, ut possim vos immaculatos Christo conjugere: tanto majore studio convertatos, quanto meliori estis ipso jungendi.

Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua: ita corrumpantur sensus vestri. Serpens Evam, de Deo mentiendo, seduxit: affirmans solam Deum comminatum esse mortem, nec esse jam illaturum. Ita & pseudoapostoli afferant ideo Evangelii præcepta addita, ut vel sic lex antiqua servaretur: & eam solam sufficere custoditam perquirunt æmulatores. Jam nunc serpens similiter quosdam seducit, gehennam propter solum terrorem asserentes nominari: quam aut penitus non esse, aut æternam non esse affirmat, contra auctoritatem omnium scripturarum.

Et excidant à simplicitate. Quia Dei verbum simplicitate credere, non est hominum perverforum.

T t t ij